

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
LIGATURÆ
USU MEDICO,
*Ob das Schnüren einiger Glieder etlichen Krank-
heiten nützlich;*

Quam-

AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULT. MEDICÆ SENIORE, DECANO H. T. SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
ANNO MDCCXLVII. D. DECEMBR.

HORIS LOCOQUE CONVENTIS
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET
RESPONDENS

JOSEPHUS LEOPOLDUS WANCKE,
NIMBITSCHENSI SILESIUS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.*

LITERATURA US MEDICO

Quatuor libri de medicina et chirurgia
ad usum medicorum et chirurgorum
et alium publicum.

DR. B. MICHAELE ALBERTI.

SACRUM ET REGI BONI AVICENNAE CONSILIA MAGISTER

DE CIRURGIO ET CHIRURGO ET ETIETIS

ATRATUM DE MEDICINA ET CHIRURGIA

DE QO GRADU ET DE

DE QO DOCTORALIA ET DE



PROOEMIUM.



on pauci sunt homines, qui med-
dicorum officia & ordinata re-
media summo metu atque hor-
rore prosequuntur & aversan-
tur, quando anxia, sollicita & ti-
mida imaginatio de utriusque
usu falsas & confusas fingit co-
gitationes & opiniones, quare aliqui vel ipsam medi-
ci nominationem abhorrescent; sibi persuadentes,
quasi vita aut in summo versetur periculo, aut abso-
lute moriendum sit; aut vires naturales, sibi adhuc
sufficienes, destruantur, quando medici requirun-
tur: de medicamentis vero varias tedium formant
ideas, quorum color, odor, sapor, consistentia, for-
ma & officina aut culina præparationis adversam ta-
lem aestimationem causantur; hinc ejusmodi imagi-
narii, delicati, molles, impatientes, morosi, immori-
geri, sensibiles, nimiaque indulgentia corrupti ægri
necessariam vitæ & sanitatis suæ curam negligunt,

tempestivum officium medici prætermittunt, opportunum salubrium remediorum usum omittunt & retardant; alii autem ASCLEPIADIS regulam arripiunt, medicum videlicet curare debere cito, tuto & jucunde, quod monitum commendant & interpretantur GALENUS in Method. L. XIV. c. 13. Hipp. de morb. vulg. L. I. CELSUS Lib. 3. c. 4. FORESTUS L. 21. obs. 3. schol. ZACUT. LUSIT. introit. ad prax. præc. 36. Dantur igitur homines, qui medicorum & medicamentorum mancipia sunt, ac quotidie ferme, insuper autem ad excessum usque, medicamentis utuntur, subinde proprias, liberas & spontaneas vires naturales valde corrumput, emolliunt & relaxant, ut præmatura morte succumbant, dum nec medicamenta, nec vires naturæ amplius periculis, corpori imminentibus, resistere valent; alii contra reperiuntur medicamentorum osores, ut nimium suis viribus tribuant & ex hoc præjudicio nimiæ confidentiæ erga se ipsos, simul præjudicium nimiæ diffidentiæ erga artem medicam & auxilia artificiosa committunt & testantur: iterum quidam internum medicamentorum usum respuentes, vel a sola medicorum visitatione & compellatione, vel ex sola superstitiosa verborum certorum enunciatione & imprecatione salutem sperant, & ex Platonicorum philosophorum, Agrippæ, Paracelsi & Cabalistarum figuramentis medelam præoptant & expectant: conf. REJES. Camp. Elysf. juc. qu. 22. tit. in verbis an aliqua vis ad morbos curandos: sic nonnulli solo medicorum aspectu ita iradiari cupiunt, ut inde velut sub umbra

umbra Petri opem acquirere desiderent & medicos,
 quippe salutatores expetant, qui solo contactu, visu,
 afflatu, verbis & linterorum siccorum applicatione
 fraudes suas exercent. *conf. Zacut. Lusit. Medic.*
Princ. Histor. Lib. 2. hist. 94. qu. 53. quare nonnulli
 impostores, quando observant, quod mundus deci-
 pi velit, ejusmodi fradulentis negotis operam dant,
 crimenque stellionatus medicum callide committunt:
 hoc indirecte occasionem præbent istiusmodi ad-
 versarii medicamentorum & medicorum, qui ur-
 gente necessitate saltim externa desiderant auxilia,
 quæ tamen ita comparata esse debent, ne ullam exci-
 tent afflictionem, sed tenerum & sensibilem ægrum
 leniter & molliter tractent; unde quidam blandilo-
 quentes medici majorem gratiam acquirunt; non
 cogitantes, quod *SENECA Lib. I. de ira cap. 5.* dixit:
ingenia vitio prava dolore corporis animique corri-
guntur: si frustra molliora cesserunt, ferit venam,
membrisque si adherentia nocent & morbum diffun-
dunt, manus afferit: nulla enim dura videtur curatio,
cujus effectus salutaris est: aut quod elocutus est
Lib. 6. Controv. 7. quædam remedia ipsis periculis gra-
viora sunt: hinc plebeja innotuit exclamatio, quod
malum, malo discuti & profligari debeat: sicut A M-
BROSIUS in Jerem. Lib. 2. testatus est, quod omnis
medicina ad tempus amaritudinem habeat, sed postea
fructus doloris sanitate monstretur: etenim non infi-
ciamur, quod saepè mediis extrinsecus applicatis,
auxilium & opitulatio feratur, aut in nonnullis casis
bus topica talia, plus, quam interna remedia condu-

A 3

cant,

cant, ideo non pauci hominum talia externa auxilia indiscretim postulant, modo eadem iterum leniter operentur: ast interdum talia externa media, non nisi certam dolorifici sensus speciem excitantia, medicam opem afferunt, qualia sunt rubefacientia, synapismi, fonticuli, setacea, asperiores frictiones, picationes, urtications, cauteria &c. ut huc quadret effatum Jacob. CARPENSIS Epist. 8. quod nulla remedia tam salutaria sint, quam qua dolorem faciunt, quam observationem exquisite explicavit D. D. PRÆSES disp. de Curatione morborum per dolores: insuper teste experientia medica constat, quod talia media aliquando medicis refugium constituent, quando juxta CELSI monitum in desperatis morbis melius esse an- ceps experiri remedium, quam nullum, aut ad GALE NI effatum Lib. X. method. c. 10. quando satius est ali- quid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere, quam spe adempta certo perire: tanto profecto satius est, po- tentibus præsiis pugnare, quam nihil agere: hoc cum consilio SENECAE dictum convenit, L. 4. Con- trov. 5. quod graves morbi interdum temerariis re- mediis curentur: licet in imitatione istiusmodi mo- niti judicio, peritia, prudentia & circumspetione o- pus sit, ne artis celebritas, authoritas & fama macu- lam contumeliae acquirat, quam audaciam igitur & junioribus & senioribus medicis valde ignominiosam esse testatur Zac. LUSIT. introd. ad prax. præcept. 23. Si igitur religiosi medici suo ministerio artificiose etiam jucunde medelam suam instruere & dirigere de- bent, necesse etiam est, ut cum lenitate & moderatio- ne

ne auxilia applicent, ne medicinam in carnificinam
 immitent & convertant, sicut PLINIUS L.29. c. 1.
 de Archagatho Lysanice filio refert, quod primus Ro-
 me medicus fiterit, vulnerarius dictus, cuius adven-
 tus initio mire gratus fuerit, mox a scævitia secandi
 urendique transferit nomen in carnificinam & in tæ-
 dium ars omnesque medici. Si antiquissimorum me-
 dicorum modos, inventiones & processus curandi
 introspicimus, tunc varios duros, asperos, immites
 crudeles, dolorificos atque seuos deprehendimus
 conatus, qui a mulo medicina ortum traxisse ac mu-
 tuuo provenisse videntur: quare interdum igne &
 gladio, aut ferro morbos profligare jusserunt, quos
 ii talis crudelis armatura coercere non potuit, pro
 insanabilibus æstimarunt, teste HIPPOCR. Sect. 8.
 apb. 6. nec ejusmodi terribilibus saltim mediis cau-
 fas morbificas extinguiere & fugare suscepérunt, sed
 verberibus, flagellis, laqueis, virgis, loris & fustibus
 vim morborum coercere sustinuerunt, ad imitatio-
 nem penitentiarum papalium, quando carnem cum
 flagris, loris & terginis cruciare contendunt: Sic et
 iam in arte medica, in primis chirurgica, deligationes,
 subligacula, vincula, stricturæ & ligaturæ, quæ com-
 muniter cum doloris sensu conjunctæ sunt, in usum
 ducuntur, qualia adminicula, licet videantur vio-
 lenta, tamen scite & perite ordinata & applicata, me-
 dicam utique opem afferunt, contra vero audacter,
 rigide & immoderate usurpata, certissimum damnum,
 præcipue subitanæ stagnationis & staseos sanguinis,
 ac præcipitis consequentis sphacelationis, inferunt:

unde

unde manifesti nonnunquam atque crassi errores imperitorum chirurgorum innescunt, quando laxiones plane illethales, mala deligatione, inepta fasciarum applicatione, & imperita ligatura, culpa temeritatis, negligentiæ & ignorantia suæ ad funestum decursum seduxerunt & præcipitarunt: inde deligationes & ligaturæ artificiales medicæ integræ & honestæ hoc imperito & temerario ausu & usu in tormenta, fidiculas, aut funiculos criminales convertuntur. Hæc disquisitio occasionem nobis præbet, ut præsente Inaugurali Specimine Practicam considerationem de LIGATURÆ USU MEDICO instituamus & suscipiamus: cui conamini atque labore ad felicem succellum atque usum cœlestem directionem & benedictionem humillime exoramus.

§. I.

IN Medico foro curationes morborum vario modo variisque mediis institutæ & tentatæ fuerunt; quidam materialibus saltim remediis, modo simplicibus, modo compositis & artefactis, modo e vegetabilibus campo selectis, modo speciosis chymicis, modo imaginationem, phantasiam & confidentiam afficientibus, modo patheticos affectus commoventibus, modo sensationem gratam, adversantem & dolorosam allientibus, modo sympatheticis & ad magiam naturalem pertinentibus aliis ve officium suum præstare & curare nituntur: inter alias munera medici partes & species ea significanda est, quæ doloris sensum, quippe medium salutaris effectus impetrandi, afficere & adhibere studet, quo synapismi, rubefactio-
nes,

nes, asperiores frictiones, vesicarum excitations, urticationes, picationes, percussions, aut plane verberationes &c. pertinent; hinc SENECA L. 6. de benef. cap. 8. testatur, quorundam quartanam flagellis discussum esse: hic pertinet PAULLINI tr. flagellum salutis, s. Cura morborum per verbera, ut & RIEDLINI obf. 1. An. 5. Decembr. p. 1273. de arthritide verberibus curata. DN. D. PRÆSIDIS Disp. de Cura morborum per dolores. Quoniam igitur *Sensus* humanus in variis subiectis nexus, influxum & consensum cum corpore humano & ejus morbis habet, ideo mediante illo diversæ alterationes corpori & morbis variis accident; quam observationem etiam hoc loco ad *Ligaturam* referimus, cuius artificiosum, honestum, medicum & corporis salubritati conducentem usum brevibus indagare & explicare volumus. Quoniam autem *Ligaturæ* appellatio in Schola Medicorum varia est, ideo hoc nomine non intelligimus *Deligationes*, *artificioſa Chirurgica* propria opere administrari solitas, nec alias ligaturas latis fasciis institutas, initiantibus humorum stagnationibus & stasisibus, relaxatis partibus, tumoribus frigidis & mollibus &c. adhibitas; nec etiam *Ligaturam*, ita dictam *magicam*, incensum præsentem ducimus: sed illam Ligaturam intelligendam esse significamus, qua tenui, tenero & gracili aut filamento s. sericeo s. laneo, (quidam ex superstitione postulant carmesino) aut ligamine digitii quidam manuum, præcipue auricularis, vel pedum, aut suræ, femora, brachia paulo arctius, ad doloris sensibilioris excitationem constringuntur, indeque immutatio quædam in corpore speciali effectu manifesta, pro salutari scopo sub statu morboſo expectatur & impetratur, ita ut hoc experimentum

B

&

& medium acquirendi utilitatem, plane *specialem*, non nisi scitam, peritam & prudentem ordinationem & directionem requirat. Dum vero Medicum usum hujus *Ligaturae* inquirere & indicare contendimus, tunc illum merito ab Empirico ausu distinguimus, ne videlicet indiscretim hic conatus suscipiatur, & ejusmodi morborum speciebus sine habito respectu temporis, ordinis, modi, loci, subjecti, regionis corporis, præcipue *causæ* applicetur, in quibus a peritis medicis commendatus ullibi legitur. Quemadmodum enim morborum *causæ* variae sunt, hoc medium autem non singulis causis congruit, ita perverse adhibitum, perversum & frustrancum habet effectum; quare illius *salubris* commendatio non nisi veri artificis manum postulat. Quemadmodum porro aliarum deligationum aut ligaturarum arcta & dolorosa applicatio & strictura facile eximum *damnum* causatur, ut ROLFINCK in O. & M. M. Lib. 4. Sect. 10. part. 3. c. 4. p. 440. de *Ligaturis* hisce testatur verbis: *attrahere ligaturas dolorificas hypotbesis* videtur infallibilis. Confirmatur quod pars *ligatura intercepta* tumeat, adeo etiam, ut a copia irruentis sanguinis inflammetur & nisi relaxetur, *gangrena* supervenire queat: hoc confirmat alicubi Galenus &c. quo loco exemplum, a GALENO prolatum, allegatur; subinde etiam hujus infaustæ consecutionis varia alia exempla constant: ita *alia ligaturæ* cum dolore conjunctæ, aut quibus dolores superveniunt, ut plurimum *ominosæ* sunt, quin affectis partibus tumores, rubores, indurations, *inflammationes* & *sphacelationes* accident; quare hæc *Ligatura*, nostri thematis sic comparata esse debet, ut cum dolore sat sensibili combinata sit, si desideratum & promissum fatu-

salubrem effectum præstare debet, quo doloroso sensu vi-
cissim deficiente, frustra ab hoc experimento fructuosa ex-
pectatur efficacia: inde generatim liquet, quod ad hoc me-
dium non temerarium pateat refugium, sed peritia & cir-
cumspectio in medico requiratur, si illius usus medicus &
non cœcus, audax & empiricus esse debet.

§. II.

Hæc Ligatura igitur talem *simplicem actum* com-
prehendit, quo cum *filamento tenero ac gracili, firmo ta-*
men & infragili, aut simplici, aut duplicato minimorum
digitorum in manibus, aut pollicum pedum, imprimis ex-
timi articuli, aut cum fascia tenera & gracili suræ &
femora successive arctius constringuntur, ut dolor stri-
etur cum molestia & attentione sentiatur; hæc constrictio
post brevem moram denuo leniter relaxetur, ite-
rumque intendatur, ita tamen ne nimis diu, & haud ultra
dimidiam quadram horæ continuetur, quo periculosa
*humorum *sæsis* & accelerata inflammatio, gangræna*
& sphacelus arceantur, neve eadem constrictio cutem o-
minosa quadam incisione lœdat, sed ut potius tale experi-
mentum scite, perite, artificiose & circumspicte adeoque
medice exerceatur atque applicetur; unde etiam certius
promissa & expectata opitulatio medica imperanda erit.
Talis Ligatura præterlapsa una alterava hora denuo repe-
ti potest, ut desideratus medicus effectus firmius con-
stantiusve consequatur: hic simplex modus est, quo tale
experimentum institui & administrari debet. Idem ex-
perimentum autem certas qualitates in Subiecto, cui fru-
ctuosum illud esse judicatur & speratur, requirit; videlicet
habitum corporis, aut structuram non nimis duram, den-

Am, siccām & compactām, qualis eminenter *melancholicis* naturalis est, quorum hominum *cutis rigida* haud adæquate arcte constringi potest, quin paulo magis ligaturæ inductæ renitatur: proinde *talia subjecta* moderata sensibilitate prædicta esse debent, quo stricturam hanc cum molesto quodam dolore percipient & aestimant: contra vero homines *strictioris & rigidioris* habitus corporis, ut plurimum *duriores & insensibiores* sunt, qui *tali ligatura parum afficiuntur*; siquidem ejus qualitatis subjecta, ob suspicionem magnam commissi delicti *torturæ* adjudicata atque submissa, hujus *atrocitatem* pertinaci *tolerantia* sustinent, nec de ejusdem cruciatibus *admodum anguntur & conqueruntur*, ut ægre ab illis confessio veritatis extorqueri queat: neque porro ad hanc curam, cum Ligatura præstandam, quadrant subjecta *dolorificis sensationibus tolerandis* adiuxta, quæ antebac acerbiores dolores perpessa fuerant, & nunc *ligaturæ dolore*, velut res *judicas*, aestimant, neque inde perquam moventur aut alterantur: quare *fæminæ animo moribusque obstinatæ*, *pertinaces* atque *subdolæ doloribus etiam corporis perforendis* adiuctæ, *torturæ* & *quece cruciatus* toleranter patiuntur, nec commissa delicta confitentur: in gente igitur *agresti*, *militari*, *nautica*, *sylvestri*, *barbara*, *durioria* hæc Ligatura parum aut nihil juvaminis medici afferit & promittit: reætius huic experimento *accommodati* sunt homines motibus mentalibus s. ad *sensationes in & externas spectantibus*, nec non ad *economiam vitæ & sanitatis corporis pertinentibus*, *flexibles & alterationibus facile obnoxii*: ideo etiam hæc cura in illis præc. morbis locum invenit, in quibus motus *præternaturales principalem causam* consti-
tuunt,

riunt, velut *congestiones*, inde pendentes largi & immodi-
cidi *aff-* & *effluxus*, aut *extravasationes humorum*, nec non
Spasmi, varias corporis regiones & partes affligentes, ut
& *retropulsiones humorum* ad loca *incongrua* & *nobilia*,
prodigae & *insalubres excretiones* variorum humorum,
motuum necessariorum & *salutarium abolitiones*, cessa-
tiones & neglectiones, ut & *taliū motuum evagationes*
& *perniciose digressiones*; pertinent huc etiam quædam
inflammationes, aut *subito inchoantes* & *ingruentes*, aut
modo atque gradu *excedentes*, similiaque alia morborum
schemata; ad *humorum vero vitiosam intemperiem*, ad *so-*
lidarum etiam partium diversa vitia, ad *morbos jam radi-*
catus & *diuturnos consuetudinales*, ad *affectus regulariter*,
ordinate & *leniter decurrentes*, ad *quasdam specificas totius*
corporis infectiones, s. *exquisite malignas*, s. *alias &c.* haec
cura *directe* & *proprie* non confert: quare *judiciosa rela-*
tio instituenda erit in ordinando hoc experimento, ne illud
empiricorum more indiscriminatim commendetur & *ap-*
plicetur: Siquidem *modus*, quo haec *Ligatura medicum*
effectum exserit, pro *medio* & *subsidio Sensus* atque *Mo-*
tus requirit & supponit. Si igitur hoc experimentum
ullibi commendatum & fructuosum legitur, semper *tales*
relationes subiatelli debent, ne *fallacia tentamina &*
confusæ ac imperitæ applicationes cum eodem instauran-
tur, neve inde non nisi incerti, dubii, *æquivoci* & *per-*
versi effectus observentur & *impetrentur*.

§. III.

Qua *rationali*, perita & prudenti cura *hoc experi-*
mentum a fallaci & *audaci usu empirico distingui* & *præ-*
servari debet, *eadem etiam sollicita attentione illud a fri-*

vola & anili *superstitione* repurgandum est, siquidem plebeius & empiricus ille usus variis nimium *superstitionis* ac *imaginariis* modis & opinionibus obnoxius deprehenditur: etenim quidam postulant, ut illud experimentum cum filamento sericeo, haud vero alio instituantur, quoniam in *substantia Serici* principia mirabilia Sulphureo-Salina querunt, quae in corpore humano vivo ob suam *specificam generositatem* & *subtilitatem* in partes *nervosissim* miro etiam effectus edere dicuntur, quare ex Serico modo *Sal volatile*, modo *oleum æthereum* preparare, cumque illis *sonticos affectus* curare sperant & promittunt; alii desiderant ut filamentum illud Sericeum non alterius quam rubri & quidem carmesini coloris sit, qui cum colore naturali, præcipue quidem sanguinis & cordis proprius convivere dicitur, ideo quidam anili credulitate autumant, quod idem experimentum cum *substantia*, *motu* & *affectibus Sanguinis* magnam consensionem habeat, sec. canone, quod *similia similibus*, *contraria contrariis* carentur: porro effeminata *superstitionem* olet, quod filamenta, quibus membra certa ligari & stringi debent, sint recentia, nec vetusta, nec semi corrupta, nec jam usurpata, nec aliter contaminata, ne adhaerentes impuritates & alteratae qualitates *arcana* primam virtutem vivent & immutent: istiusmodi vanis & *superstitionis* postulatis annumerare convenit, quod nonnulli exquisitum & certum numerum *circulorum*, aut *circumvolutionum* cum filamento sericeo præcipiant, & quoniam iterum in numero ternario, alii in *septenario* *arcana* querunt, ideo toties circumligandum quoddam membrum esse, quoties ejusmodi numerum pro regula præcipiunt: *Superstitiones*

perstitionis etiam specimen est, quod ROMMELIUS in A.
N. C. dec. 2. an. 5. obs. 29. p. 48. 49. seq. allegat verbis: mon-
stravi feminas ad aliquot dies, sine noxa vel incommmodo
valetudinis, menses retardare posse: interea ex virginibus
maritatis & viduis, omnibus sua laude dignis, honestis,
nec infimi subsellii, vel ex fece plebeja oriundis feminis, di-
dici, apud se & alias in secretis haberi, & aliquoties tam
in calibatu, quam in conjugio & viduitate se expertas esse &
adb. dum experiri, mensum fluxum jamjam naturali mo-
do quasi erupturum, circumvolutione fili serici carmesini,
circa digitum auricularem utriuslibet manus, menses in
motu impedire, totque dies eorum fluxum morari ac retar-
dere solere, quod np. circumvolutiones s. circuli in dígito
dicto facti reperiantur, semperque numerum dierum nume-
ro circulorum respondere &c. Porro quidam supersticio-
nem committunt cum selectu digitorum, quoad speciem
& numerum, ut nunc unum auricularem, nunc utrosque
ligatura stringendos esse jubeant, ideoque utilem effi-
caciā hujus experimenti longe aliis causis & qualitatibus
adscribant: ROLFINCK. in Ord. & Meth. Med. Lib. 4.
Sect. 7. P. 1. cap. 4. p. 442. ita scribit: digitorum in manu
dextra duorum mediorum lino colligatorum constrictio,
quae a supremis revellere creditur ad ligaturas etiam perti-
net. Deinde modus operandi ad varias dissensiones & du-
bitationes ansam præbet, dum aliqui illum plane arcanum,
incognitum & imperscrutabilem esse arbitrantur: alii de
illius experimenti veritate, fide & certitudine plane dubi-
tant, quia de modo operandi haud distinctos conceptos for-
mare nec volunt, nec possunt: iterum alii illud viribus ima-
ginationis adscribere malunt: alii ad sympathiam & magiam
natu-

naturalem, i. e. arcana naturae confugiunt, quo communis sylo, si causæ rationales & perspicuae non intelliguntur, illud tentamen dirigi creditur; alii numeris arithmeticis, alii cabalisticis, algebraicis, geometricis modis hoc experimentum explicare, inque hoc conamine vires ingenii & phantasie exercere volunt, sicut ROMMELIUS l. c. varios tales modos allegavit, qui prædictæ observationi hac peroratione finem facit: p. 52. extenorū vis per experientiam quidam nobis patet, quanquam causas ignoremus, nobisque multa occulta sunt, quæ naturae manifesta. Vult enim ea latere multa, ut major sit ex eorum occulto autoritas & admiratio. Nec propterea hujus auxilii fides impugnanda & rejicienda est, quia illud nec semper, nec omnibus salutarem effectum promittit & præstat: ast quoniam omnia media, acquirendi utilitatem, sub certis stant relationibus, ideo hoc experimentum certo modo, tempore, gradu, ordine, subiecto &c. adeoque perite & prudenter usurpatum, certiorem exhibet utilitatem: licet etiam quoad cognitionem modi operandi quidam dubitent, ambigant & cœcitant, tamen alii is incognitus esse haud potest: licet etiam ille omnes lateat, propterea nondum scientiæ physicæ ira consummatæ & perfectæ sunt, ut illius effectus propter ignorantiam causæ negari debeat: quounque enim fastu hodiernæ scientiæ turgeant, tamen multa in naturalibus fere indies occurrent phænomena, quorum causas veras, sinceras & evidentes, haud vero fanaticas & ficticias, ignoramus: interea nunc pauculum causam & modum fiendi, huic experimento congruum, attingere & indicare placet.

§. IV.

§. IV.

Haud male igitur illi sentire nobis videntur, qui Ligaturæ, salubri suo effectu, revellentem efficaciam tribuunt, quamvis hanc *BELLINUS de Sangu. miss. p. 156.* abneget, aliumque modum, qui satis obscurus & in applicatione ad certos casus perquam incongruus esse apparet, proferat: attamen Ligaturæ & conjunctæ constrictiones, ut & alternatae relaxations & iteratae strictræ exquisitum sensum doloris causantur, quem eminus humorum affluxus excipit, ita ut ab aliis & diffitis quidem locis successive sanguinis modica quantitas ad locum doloris profluat, inde etiam contingit, ut in vicinitate istiusmodi loci doloris e largiori dein sanguinis affluxu mutationes quædam aut revocare sensationis, & redeuntis functionis se- & excretoriae, & recurrentis vis motricis & connexæ actionis vitalis & animalis & naturalis, in distantibus locis autem, ubi præternaturales congestiones, humorum accumulations, stagnations, extravasations, immoderatae & prodigiae profusiones contingunt, avocationes, derivationes, & ita dictæ revulsiones sequantur; ideo talis Ligatura præcipue in sensum & motum, utriusque etiam alterationem transit. In medico enim foro constat, quid & quomodo Sinapismi, phœnigmæ, rubefactiones, frictiones, punctiones &c. operentur, id quod in *D. PRÆSIDIS disp. de Frictionis usu medico explicatum prostat: quorum efficacia in varia loca, plane etiam remota & extrema transit: quemlibet enim Sensum molestum, tanto magis intense dolorificum sequitur affluxus comparate major & facilior sanguinis & aliqualis motus alteratio. Si igitur in alio loco tempore quodam largior humorum collectio, ac plenior*

C

effu-

effusio succedit, tunc hæc revocatio, aut revulsio illa loca
 ab humorum copia quadantenus liberat, ut illico *vix*, ca-
 nales, *ostia*, *aperturæ* &c. collabantur, aut modice con-
 stringantur, ideoque futurus affluxus & effluxus ad illa
 & ex illis coercentur, hinc præteritæ inflammations,
 excretiones, congestiones, ardores, tumores, certi dolo-
 res &c. minuantur, mitigantur, interdum etiam tolluntur:
 nam ex *legibus* & ordinibus circuli sanguinis tales sub-
 sequentes effectus haud solide & perspicue tantum expli-
 cari possunt: si v. g. ligatura digitorum auricularium aut
 annularium ad hæmorrhagiam narium, hæmoptysin, apo-
 plexiam, lethargum &c. ut & ad Mensium, Hæmorrhoidum &
 Lochiorum immodicum fluxum; aut ligatura di-
 gitorum pedum & crurum ad Lochiorum & Mensium
 revocationem conducit, in quibus casibus *consensus* par-
 tium & nexus motus fluidorum & progressivi vix liquet,
 sed valde infirmus, *obscurus*, late conquisitus, accusatus
 & coactus esset; Præterea manifesta veritas est, quod
 cum quolibet *affectu animi* patbetico, præcipue fortí, sin-
 gularis alteratio motus solidorum & fluidorum cohæreat
 & concurrat; quando igitur ligaturæ *strictiores* & reci-
 procantes relaxationes eximum affectum doloris causan-
 tur, ideo generatim inde exquisitæ mutationes motuum
 & functionum, in cœconomia *vitæ naturalis* expectandæ
 sunt: haud quidem negamus, quod talis ligatura *in loco*
affecto quandam mutationem motus progressivi sanguinis
 efficiat, ut illico *tumor* & *rubor* *infra* ligaturam oriatur,
 dum sanguis in *refluxu* suo impeditur, sed hæc alteratio
 cum effectu, in *distantia* contingente, *nullum* habet ne-
 xum: Cur vero hasce passiones *animi*, aut ita dicta pa-
 thema-

themata, sequantur mutationes motuum vitalium varia-
rumque functionum ad vitam naturalem spectantium,
non quidem hujus loci est, ut indicemus, sufficerit veri-
tatem facti annotasse, & pro ulteriori illustratione hujus
observationis *Programma B. STAHLII commendasse anno-*
malias motuum vitalium patheticas, non esse tumultuarias:
quo referenda est disp. D. D. PRÆSIDIS de animi affectu-
um effectu medico: Inde etiam liquet quod homines du-
riores, insensibiores, compactioris structuræ corporis ad
talem curam, cum ligatura sustinendam, minus idonei sint, ut
supra monuimus, quos dolor stricturæ parum afficit: dein-
de quod eadem Cura cum Ligatura, utpl. non aliis morbis
*congrua sit, quam qui *Sensuum & motuum comparata &**
adæquata alteratione in meliorem statum & partem muta-
ri & converti possunt: quamvis quidem non penitus in
*variis casibus & individuis *imaginationis concursus & co-**
operatio excludi debeat, quæ cum personali sensibilitate
facile conjungitur & non solum doloris perceptionem
majori molestia format, sed & de ipsius experimenti con-
ditione, modo, usu & applicatione modo *meticulosas cogi-*
tationes, modo firma confidentia desideratae efficaciam o-
*perosas intentiones & repræsentationes efficit, unde *felix**
successus illius curæ certius impetratur. Hisce nunc al-
legatis respectibus atque causis nititur modus ille operan-
*di, qui non nisi illis caliginosus & obscurus est, qui *in-**
fluxum animæ in corpus audacter, sciole & pertinaciter
negant.

§. V.

Nunc autem in ordine nonnulli morborum affectus no-
minandi & indicandi sunt, quibus hæc Ligatura medicam

opem promittit: præcipue autem illa commendatur ad varias species prodige & excessive succendentium *Hæmorrhagiarum*, imprimis *Narium*, *hæmoptyseos*, *Mensium excedentium*, *Hæmorrhoidum superficiarum*, in quibus *Ligatura digitorum auricularium revulsoria efficacia fluxum sanguinis immodicum mitigat & minuit, dum sanguis ob ostis apertis quadantenus refluxus tantum adjuvat, ut illa ostia suo circulo aut labiis facilius collabi, postea vero firmius constringi, insuper ulterior effluxus coerceri queant: sic plurimi Medici hujus peculiaris medii mentionem faciunt, quando in *prædictis hæmorrhagiis topica auxilia commendant*: *GALENUS Lib. de præcogn. ad Postbum. cap. 13. ad Hæmorrh. ligaturam ordinavit*: teste *ZAC. LUSIT. M. P. H. L. i. b. 64. in parapbr.* ita differente: *brachia & crura vinculis ligavit, ut sic dolore excitato retractio ad distantiissimas partes easque contrarias fiat validissima: conf. ETTMÜLLERUS*, vbi de *Hæmorrhagiis narium tractat*, ad quas compescendas dolorificas extre- morum ligaturas commendat: quare *FROMANNUS tr. de Hæmorrhoidib. P. 1. probl. 8. p. 247. dicit*: *Ligatura quo validior fuerit, eo magis attrahit & revellit: & quo tale experimentum certius opitulationem afferat, ideo WEICK- HARDUS thes. præct. p. 54. præcipit*: *Ligaturæ extrematum dolorem inferentes interdum solvenda rursumque strin- genda sunt: ita etiam de utilitate Ligaturæ in hæmorrh. narium ita ex WEDELIO, BONETUS in thes. præct. Tom. I. L. 2. c. 49. p. 1047. n. 72. differit: Ligaturæ p. pro vasorum compressione, p. pro remorando in vasis sanguine convenire queunt: accedente imprimis levi dolore, qui advocat illum hic ad partem ligatam, adeo revellit. Sed si fortius strin- gantur**

gantur circulum sanguinis omnino turbant ægrum frustra
 cruciant & tantum abeſt, ut sanguinem ſic ſiſtant, ut po-
 tius fluxurum magis cieant & hæmorrhagiam augeant.
 Neque vero ſelectus coloris huic aliquid facit, quando ru-
 brum fericum vinculum ligant, quin potius rubedo magis
 motum promovet, quam ſedat. Kermesino colore tintæ
 firſiae forſan elegantur, ob adſtrigentem vim, qua grana
 chermes pollent. Sic pariter HILDANUS Cent. 2. obs. 15. li-
 gaturam ad Hæm. Nar. fiſtendam commendat: In Hæmo-
 ptyſi autem haud tantum valet hujus experimenti uſus, ſi
 præſerim vas ſanguiferum paulo majus in pulmonibus ru-
 pturam concepit, quod tam facile nec connivet, nec conſtrin-
 gi potest: interim illud experimentum in hac Hæmor-
 rhagia ſæpius dubiæ & incertæ efficaciam eſt. Paulo certius
 illud conducit ad immodicum Mensium fluxum cohiben-
 dum, eadem revulſoria virtute, quando ligaturæ digitis
 manuum applicantur: conf. WEDELIUS diſput. de immod.
 Mens. flux. c. 6. p. 35. SENNERTUS Pr. L. 4. P. 2. Sect. 2. c. 6.
 & qu. an revulſionis gratia frictiones in cruribus & ligatu-
 ræ fieri poſſint, & illico diſſerit: frictiones & ligatu-
 ras revulſionis gratia tantum in brachiis, mensibus ni-
 mis fluentibus iſtituendas eſſe, ratio ſuadet, cum revulſio
 motum a fonte, non ad locum affectum, ſed ad contrarium
 conciliare debeat: provocat hic author ad locum GALE-
 NI I. ad Glaucon. c. 14. oportet nexus plures & fortiores
 fieri circa manus, quando per inferiores partes ſiunt evacua-
 tiones: quemadmodum quando per hæmorrhoides ſanguis
 proſuit, aut ventris proſluvia adſunt, aut cum mulieribus
 per ureteres exēunt menstrua: nam ſi tunc crura fortius li-
 gentur, ſæpius aliquid ad partes inferiores attrahitur: conf.

etiam BARBETTE *Pr. Med.* c. 13. *A. N. C.* dec. 2. an. 5. obs.
 29. p. 51. ROLFINCK. in *Epit.* p. 347. sq. aliquie. Idem et-
 iam judicandum erit de *Lochiorum nimio fluxu*: qui in
 variis subjectis & casibus hoc medio mitigari potest, eo-
 dem revellente effectu, quando in superioribus corporis
 membris adhibetur; testem e multis iterum *Sennertum*
 producimus, qui in *Prax. Lib. 4. P. 2. Sect. 7. c. 4.* de hoc
 statu judicat: *brachia, manus & digitii ligentur (nostræ
 feminæ serico rubro utuntur:)* *A.N.C. l.c. & Dec. 2. an. 7.*
 obs. 96. Herm. CORBÆUS *Gynaecior.* L. 2. c. 7. P. SORBAIT.
Med. Pract. tr. i. c. 85. p. 470. a. ubi ligaturam aliquo mo-
 do dolorificam eo commendat: *Laz. RIVERIUS Pr. Med.*
Lib. 15. cap. 21. Præter hæc ordinatur etiam Ligatura ad
Hæmorrhagias gravidarum a Primerosio de Morb. Mul.
L. 4. c. 2. p. 264. Idem experimentum convenienti modo
 adhibitum, confert pariter in *insolitis Mensium & Lochio-*
rum viis: non minori efficacia locum invenit in *vomitu*
cruento, quo a *RIVERIO* laudatur, ut & in *Hæmorrhoidi-*
bis nimiis & cœcis, quo a *FROMMANNO* commendatur.
 Denique Botallus ad *Vulnera Scopetorum cap. 12.* pag. 643.
 tales Ligaturam seqq. verbis ordinat: *Si vulnera in sinis-*
tro brachio existit, ex reliquo venam secui; tibias vincire
non dubitamus, stringendo vincula non secus, ac qui phlebo-
tomare intendunt; quæ ubi molesta plurimumque dolorosa
esse cœperint, solvenda veniunt, mox iterum religanda re-
stringendaque sunt, & sic per vices repetenda: Ex hisce
 testimoniis apparet, ad quam *varias Hæmorrhagiæ* species
 hæc Ligatura, perite adhibita, conducat, quamvis
Henr. ab HEER in *obs. med. 13. p. 170. sq.* de utilitate hujus
 experimenti in *hæmorrhagiis*, ab uno contrario exemplo
 aliter

aliter ita sentiat: ab illo tempore, multo post medicinam faciens, ab illa Ligatura, vel potius carnificina semper abhorquerim, quicquid omnes Praetici, ligaturas non experti (vel quasi hoc authori indubitato innotuerit) suadeant.

§. VI.

Quod immodecum sanguinis fluxum Ligaturæ, congrue applicatae, mitigare & sistere queant, haec tenus indicatum fuit; quo loco adh. allegamus testimonium Christ. LANGII in disp. de Sanguinem sistentibus §. XI. ita differentis: Ligaturas laudibus egregie extulit HIPPOCR. L. 2. de Morb. Mul. jubens, ut laquei supra genua & cubitos in nimio mensum & Lochiorum fluxu stringantur, cui subscribit GALENUS Lib. ad Glaucon. cap. 14. AETIUS de re med. L. 14. c. 25. Paul. AEGINELA L. 3. c. 63. AVICENNA in cap. de Ligaturis, Zac. LUSIT. Prax. Hist. L. 3. c. 11, FONSECA Tom. I. Confut. 55. Daminarunt econtra illas Asclepiades, citante Scribon Largo. vid. Augenii Ferrerii Castigat. nes c. 27. & Alex. BONNETTI theatr. tabidorum exerc. 26. Verum tamen si modo partium ligatarum & ipsius ligaturæ habeatur ratio, non penitus improbari debent. Nam, quis non intelligit fortius braccia, eruaque posse stringi, quam testiculos aut digitum minimum, quos ligare jubet RONDELETIUS meth. curandi morbos c. 63. p. 28. CRATO in Conf. lib. 5. conf. 7. HILDANUS obs. Cent. 2. obs. 15. Deinde observetur, ne fasciæ nimis diu locis his injectæ relinquantur, ob metuendam gangrenam & sphacelum, qui ex nimia sanguinis stagnatione nasci potest, quod rectissime monet ZYPÆUS in fundam. med. phys. anat. art. XI. p. 377. Quamvis quidem aliqui antiquorum medicorum ad fessendos tales immodecos fluxus sanguinis uterinos suras &

crura

crura ligare jubeant, velut PAULUS L.3. c.62. AVICENNA L.13. tr. 2. c. 4. in princ. AETIUS tetrab. 4. Serm. 1. c. 64. rectius tamen judicat Zac. LUSIT. loc. c. quod bæc omnia menstrua potius evocare, quam sſttere & revellere nata sint: porro: licet extra rationem omnem videatur in immido uteri fluxu inguina & crura ligare, cum tantum abſit, ut hoc præſidium fluxum revellat, quin imo eum magis alliciat ac intendat, & satius fit alas ac brachia ligare, inguina & crura intacta prætermittere: inde præterea colligimus & approbamus, quod Ligatura pro varietate regionis hosce uterinos fluxus minuere, alibi allicere & invitare queat: quare periti medici hac Ligatura, cruribus, coxis, aut femoribus congrue adhibita, Menſtrua & Lochia imminuta, retenta & suppressa, revocando ſanguinem ad uterina loca a superioribus regionibus, restituere adjuvant, id quod cum eod. Zac. LUSIT. multi alii medici confirmant: ſic WILLISIUS de febb. cap. 6. ſentit: Si Lochia ſtantur, ut eorum fluxus denuo creatur, omni modo enitendum erit: buic promovendo conducunt frictiones & LI-GATURÆ circa femora aut coxas &c. vid. SENNERTUS L. 4. P. 2. ſett. 7. c. 3. Ob eandem rationem & conſiderationem inducti quidam ſunt, ut Ligaturam utilem judi- caverint in stagnatione, extravasatione & congeſtione ſanguinis certarum, præcipue superiorum corporis partium & regionum: ita Ligaturæ uſum revellentem in Apoplexia commendat PETRÆUS in Nosolog. harmon. diſſert. 7. Lib. 1. ſ. 46. p. 141. SCHNEIDERUS de Apoplexia cap. 22. p. 795. FONTANUS in tetrade graviflormorum Capitis affectionum p. 347. SENNERTUS Pr. L. 1. P. 2. c. 33. DIETERICUS in Jatn. Hippocr. n. 86. p. 2n. qui profitetur: Ligaturæ extre-

tremorum fortissimæ & dolorificæ conducunt ad Apoplexi-
am, quia doloris vehementia vis sopita excitatur. Sic et-
iam Eustachius Rudius Ligaturam ad Lethargum ordinat
Pr. L. 1. cap. 5. BONETUS in Polyalib. Tom. I. L. 2. cap. 21.
p. 723. in alio casu, intuitu causæ convenientis & adæqua-
tæ laudatur ad Somnum conciliandum a Paulo, referente
BONETO l.c. p. 93. quando videlicet Cerebrum nimio hu-
morum effluxu & cumulo impletum est: Sic etiam alio
modo idem medium interdum ad vigilias disponere pot-
est, si causæ ad somnolentiam, aut morbosos sopores promo-
ventes, æque congruae auferuntur, v. g. stagnationes hu-
morum in cerebro, relaxatio partium nervosarum &c. ut
ligatura ad revulsionem humorum & excitationem Sensa-
tionis conducat, teste PRIMEROSIO, vid. BONETUS l.c.
cujus hæc sunt allegata verba: *Paulus ad somnum conci-
liandum prescribit frictiones & Ligaturas extremerum ad
ægerum defatigandum, quas statim solvit, ut postea in som-
num labatur, sed ligaturæ debent esse leves, sèpius repetitæ,
cavendumque ne æger sit arthriticus: non attenta obser-
vatione HILDANI Cent. 1. obs. 79. de qua P. ZACCHIAS Qu.
med. leg. Lib. 6. tit. 2. qu. 4. n. 10. ita scribit: non conticen-
dum est, quod Hildanus narrat, plurimos ex tortura (in
qua criminalis & inhonesta ligatura exercetur) ab arthri-
ticis doloribus & a podagra fuisse liberatos: de quo medio
AMMANNUS in Med. Crit. pag. 189. ita ad quæstionem an
tortura podagricis & arthriticis sit remedium, judicat:
torturam pro remedio medico non licet substituere, si pati-
enti autem libet, adeat ipse carnisecum.*

§. VII.

Quod ROLFINCK. in O. & M. M. l.c. p. 442. in fin.

D

ex

EX PLINIO refert, qui docuit defillationes a capite arcere, atque idem facere præligatum pollicem in pede, id ad varios alios affectus, qui vel in capite sedem suam habent, aut e capite originem suam ducunt referri potest: hinc Ligatura ad Cephalalgiam commendatur a WELSCHIO Chil. 1. obf. 273. & not. Ligaturae Cephalalgiæ Bavaris consuetas, sed adhibitis quibusdam ceremoniis, ante circumligationem mensurando, refert Volf. HOEFERUS L. Herc. med. 3. quod de sympathica imprimis intelligendum, intercipiendi scilicet scopo, de quo jam ap. Atben. XV. 5. sed absque ulla superstitione gestulatione: ast per hanc Ligaturam aliam, quam nostro argumento conformem, videlicet capitinis circumligationem intelligit, quando dolor capitinis inde oritur, si futuræ distenduntur & debiscunt: attamen Ligatura digitorum nostri census in Cephalalgia illa, quæ ardenteri congeßione sanguinis provocatur, personis sensibilibus & flexilibus congrua aut adhibita æque ac similibus aliis congeßionibus utilis esse potest & solet. Præterea eadem Ligatura interdum proficia esse deprehenditur in morbis convulsivis, imprimis Epilepsia, quando nondum diurna duratio radicati & inveterati sunt, ubi hæc revulsoria motuum alteratio certiorem efficaciam habet: hinc SYLVIVS disp. de Epileps. §. 57. inquit: in quibusdam Epilepsis sympatheticis profunt Ligaturæ brachiorum & pedum supra genua, in aliis casibus non approbo §. 57. & de le Boe SYLVIVS Prax. Med. L. 2. c. 21. §. 157. conf. DOLÆUS Encyclop. med. L. 1. c. 9. Alibi hæc Ligatura motus & Sensus languescentes aut deficientes iterum excitare adjuvat, velut in animi deliquio, quo commendatur a PLATERO in Prax. Med. tit. de vitalis motus defectu cap. X. p. 482. ut

ut & in Paralyssi Linguæ vid. ROLFINCK, in Epitome curandi morb. Lib. 1. P. 2. c. 5. p. 102. sicut in talibus affectibus alia auxilia, Sensum & motum excitantia, velut frictiones, Synapsim, picationes, rubefacientia, vesicatoria ordinari solent. Non minori efficacia revulsorio videlicet & derivatorio scopo Ligatura talis ordinatur in variis speciebus Spasmorum, inflammationum ut & excedentium & immoderatarum quarundam excretionum, sicut in Strangulatione uteri, sec. ROD. a CASTRO de M. M. L. 2. cap. 1. p. 100. num. 50. MERCATUM de Virg. & viduar. affect. Lib. 2. c. 3. Tom. 3. p. 546. Lit. D. & p. 547. Lit. F. MICHAELEM Prax. Clin. P. I. Lib. V. cap. 32. p. 249. PRIMEROSIUM de Morb. Mulier. L. 3. cap. XI. p. 219. BONETUM in Polyalthe Lib. V. cap. 21. p. 192. b. §. 47. nec non in dispnæa teste ROLFINCK in Epit. L. 2. P. 1. c. 2. p. 124. BOHNIO disp. de dyspnæa §. 29. WEICKHARD thes. præt. p. 135. qui eo in casu fortè ligaturam in pedibus, non in brachiis prescribit: in Singulu monente BONETO l. cit. L. 4. c. 17. p. 402. b. in fin. in nimia Sternutatione sec. RIVERIUM Lib. 4. cap. 6. & PLATERUM Lib. 2. c. 5. p. 409. Tom. I. ad fin. in nimio Ruetu, suadente WEDELIO in disp. de Ruetu cap. V. p. 27. Præterea eandem Ligaturam ad inflammationem ventriculi & aurium ordinat RIVERIUS in Pr. L. 9. c. XI. & L. 3. c. 3. ad vomitum vid. PLATERUS de Vomitu bilioſo Tom. 3. p. 732. ad Diarrhœam vid. ROLFINCK Epit. L. 3. c. 19. p. 289. ad Purpuram Puerperarum. vid. FASCH. disp. hujus aff. c. 13. p. 22. Denique plane ad morsus venenosos idem medium admittit ET MÜLLERUS disp. de Morsu Viperæ cap. 2. punct. 2. illico ita differens: injiciantur parti demorsæ vincula & ligaturæ partibus superioribus, firmæ & valentes,

tes, ne vi doloris concitatus sanguis nimio impetu per arterias affluat, nec cito nimis per venas una cum veneni inquinamento refluat: quæ ratio Ligaturæ in tali & simili casu ad alium effectum & modum operandi respicit, quippe qui in certis casibus etiam quandam attentionem & conciliationem meretur. Sicut autem hoc auxilium non promiscue & præcipitanter, sed judiciose & perite adhibendum est, ita denique **GALENI** monitum de compos. medic. sec. loca ad prudentem illius usum commendamus: topica alicui membro adhiberi non debent, nisi prius toto corpore repurgato: nec fugitive hoc medium aliis internis utilibus & probatis præferri, sed tunc adhiberi deberet, quando interna non penitus satisfaciunt, subinde etiam congrua subjecta ad hoc experimentum magis accommodata deprehenduntur. Paucis hisce præsentem tractationem commendare placuit. Deo, Summo optimoque moderatori nostrorum laborum gratias agentes & salutarem hujus auxillii applicationem atque efficaciam optantes, qui sincerus nostri conatus erit


F I N I S.



00 A 6399



sb



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
LIGATURÆ
USU MEDICO,
*Ob das Schnüren einiger Glieder etlichen Krank-
heiten nützlich;*

Quam-
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULT. MEDICÆ SENIORE, DECANO H. T. SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
ANNO MDCCXLVII. D. DECEMBER.
HORIS LOCOQUE CONSVENTIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SURJICET
RESPONDENS

JOSEPHUS LEOPOLDUS WANCKE,
NIMBITSCHENSIS SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.